



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 113. Calvini epistola Tigurum missa ad Lelium Socinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

Sæcul. XVI. post crebras altercationes decidebant, quod Tigurinorum sententia a ceterorum opinione haud differret. Ergo approbantibus Helvetiis, ac Grisonibus concordia stabilitur, atque inter Genevenses, & Tigurinos, necnon inter Bullingerum, & Calvinum tam arcta inicitur amicitia, ut hæc unio hodieum adhuc subsistat.

§. CXIII.

Calvini epistola Tigurum missa ad Lelium Socinum.

Beza in vita Calvini. Sub idem tempus Calvinus duas epistolas admodum doctas perscripsit ad Lelium Socinum tum Tiguri agentem, qui primus Socinianæ sectæ Auctor evasit. Hic filius erat Mariani Socini, neposque alterius Mariani Socini percelebris jurisconsulti, qui primo Patavii, ac postea Senis cum ingenti omnium applausu Juris Pontificii scientiam tradebat, ac demum ad Pium II. Pontificem ablegatus ab eodem sacri Senatus Advocatus renuntiabatur, haud vulgaribus benevolentiae signis exceptus. Ceterum Lelius Socinus Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto Senis natus, ac maturiorem ætatem attingens a Patre suo ad jurisprudentiæ studium destinabatur: verum ipse jam tum Religionem mutandi

di consilium ceperat, falso persuasus, Sæcul. XVI. A.C. 1549.
 quod Romana Ecclesia plura fidei ad-
 versa traderet; præprimis ergo genui-
 num sacræ Scripturæ sensum investiga-
 re nitebatur, in quo tamen studio hor-
 rendum in modum a veritatis semita
 deviavit, postea Græcæ, Hebraicæ, imo
 & Arabicæ linguæ operam navans
 præcipiti consilio ex Italia secessit, ad
 Protestantium Regiones profecturus, ut
 eo liberius perniciosas juxta, ac hæreti-
 cas eorum opiniones ibidem palam pro-
 fiteri posset, cum in sua patria latens
 hæresis suæ venenum aperte effundere
 haud valeret, quin sese ingenti periculo,
 malisque sibi abs dubio fat funestis ex-
 poneret.

§. CXIV.

*Metensis Antistes suo Episcopatu
cedens.*

Referunt Historici, quod eodem ferme Strid. comm l. 21. p. 754.
 tempore Nicolaus Lotharingus Me-
 tensis Episcopus, ac Antonii Lotharin-
 gii, & Barrensis Ducis, necnon Valde-
 montii Comitis filius suum Episcopatum
 dimiserit, ut hoc anno die prima Maji
 Margaritam Egmontiam Joannis III.
 Egmontii Comitis, ac Franciscæ Luxem-
 burgicæ filiam sibi in uxorem adlegeret.
 Hoc igitur eventu Metensis Episcopa-
 tus Cardinali Lotharingio cessit.

Hist. Eccles. Tom. XL. D §. CXV.